

protulisse, sed numero certo pro incerto usum fuisse, atque sic exempli tantum causa decimi gradus fecisse mentionem. vid. Bach. d. l. ubi testatur, priorem opinionem tanquam receptiorem praxeos & fori peritos probare. Jure Saxonico nullis heredibus masculis existentibus res expeditoria, *Heergewette* / Magistratui, illi scil. qui altam habet Jurisdictionem, cedunt. Dn. Carpzov. part. 3. const. 38. def. 21. ut & bona utensilia, *die Gerade* / nullis cognatis feminis extantibus. Schneidew. in comm. ad Inst. de hered. qua ab intest. defer. de success. fisc. Dn. Richter, Patronus meus devenerandus, in tract. de success. ab intest. sect. 5. n. 4. & seqq. ubi simul tractat, an & quando Magistratui debeantur res expeditoria, & ad geradam pertinentes, Agnatis & Cognatis adhuc extantibus.

§. 16.

Heredes fiscum excludunt, etiamsi quis in peregrinatione suum obiverit diem, *auth. omnes peregrini, C. comm. de success.* quod non obtinet in Gallia, uti ex Bodino notat Joannes de Laët in *descript. Gall. c. 5. n. 3.* ubi singulari jure tributum esse dicit mercatoribus peregrinis, qui ad nundinas Lugduni & Campaniæ profiscuntur, ut nihil de bonis eorum, si interim moriantur, fisco decerpere liceat. Cum autem in l. 4. C. de bon. vac. mentio fiat heredum ex titulo juris, breviter notandum, per illos indigitari, qui alio, quam sanguinis respectu, jure Civili aut Prætorio ad alicujus vocantur successionem, quales sunt arrogati & adoptivi. §. 2. Inst. de adopt. uxor & maritus t. t. ff. & C. und. vir. & ux. ibique Dd. Socius etiam Imperialis liberalitatis fiscum excludit, l. un. C. si liberal. imper. soc. fin. hered. decess. lib. X. Collegia itidem licita, l. 1. & t. t. C. de hered. decur. quod tamen Schneidew. in com. ad Inst. de hered. qua ab intest. def. intelligit de casibus jure expressis & enumeratis in d. l. non de aliis collegiis, atque sic vult si v. g. Doctor vel Studiosus in Academia sine herede decedat, non succedere ei collegium Doctorum, sed Universitatis fiscum, si illa tali jure gaudeat. Cæterum quæri potest, si defunctus diversis in provinciis bona habeat, cujus loci fisco bona illa cedant? Bona immobilia in loco domicilii sita, & omnia alia mobilia, ubicunque etiam sint sita, ad fiscum domicilii pertinent, modo illa ad alium locum non
ita